



**A**Rthus filius fuit Algothi regis Sæonum. Is post Gostagi infelicis tyranni interitum Gothorum & Sæonum regnum affecutus, à quibusdam inter nouem præstantissimos principes collatus est. Sunt tamen qui eum locum Arthuro Britannico assignant, licet hic Sueticus illi in nullo uirtutis genere celsisse uideatur. Huius enim Imperium ad Orientem fluuiio Tanai, ad Occidentem Albi longissimo terrarum tractu finiebatur. Verùm Arthurus Christianus circa annum Christi 470, hic Ethnicus circa 630, floruisse dicitur. Ille imaginem D. Virginis, hic tres coronas Suetici regni insignia habuit. Itaque Germaniæ proceres inter nouem clarissimos suæ gentis Heroes hunc Arthum cõnumerarunt. Erat is in omni morum honestate ad eò conspicuus, ut eius nomen optimo quoque apud Gothos adaptetur. Vestitus erat simplex & modestus. In uerbis summa urbanitas & ueritas: In uictu frugalitas & temperantia. Domi non secus ac agnus, foris & contra hostes instar leonis erat. Sunt adhuc nostro æuo nonnullæ illustres domus & præclara ædificia Arthorum in oppidis Vandalicis secus mare Germanicum Gedani & Sundis, quas honestiores ciues laxandi animi causa ingrediuntur, atque huius Arthi uirtutes commemorant. Arthus enim plurima bella in Moschos, Liuones, Curetes & alias uicinas gentes feliciter peregit, nomenque suum cunctis per Europam nationibus formidabile & gloriosum effecit. Hic tandem absque liberis decessit, & in regijs monumentis apud Upsaliam collocatus fuit. Ioan. Mag. in Hist. Goth. lib. 8. cap. 41.